

Admodum Illustris, et Reverendissime Domine frater. Literas Reverendissimae Amplitudinis Vestrae datas anno superiore, mense novembris cum ingenti animi dolore perlegi: intolerabilis enim mihi iam videtur furor episcopi Cocinensis; sed tamen dolorem non
5 parum temperavit constantia ovium vestrarum, quae, ut videtur, vestigia boni pastoris sui, Deo iuvante, sequuntur. Hic non defuimus, nec deerimus causam ecclesiae Amplitudinis vestrae apud summum Pontificem tueri; quamvis etiam episcopus Cocinensis non sibi desit literas plenas querimoniis saepe scribendo. Una res me consolatur,
10 quae etiam Amplitudinem Vestram Reverendissimam consolari debet, pastorem magnum, Christum, non posse deserere gregem suum, et vicarios suos, et ministros suos, qui nihil quaerunt, nisi gloriam ipsius, et salutem animarum, ipsius pretioso sanguine redemptarum: et eundem Dominum nostrum non ignorare tribulationem servorum suorum
15 laborantium in remigando, vel clavo regendo; denique eundem omnia posse, et si placuerit ei imperare ventis et mari, futuram continuo tranquillitatem magnam.

Audio P. Robertum Mobilem conterraneum meum multum laborare in conversione Brachmanarum, sed tamen singularitates quasdam facere
20 in ritibus eorum imitandis, non sine offendiculo fratrum nostrorum, et periculo conscientiae ipsius. Obsecro R^{mam} Dominationem vestram, ut eum hortetur, quod etiam ego per literas facio, ut nolit iudicio suo vel zelo etiam nimium fidere; sed humiliter acquiescat maiori parti fratrum, qui tutiora suadent, praesertim cum Pater noster
25 R^{mus} Generalis et nos idem sentiamus.

Valeat Amplitudo Vestra Reverendissima mei memor in sanctis precibus suis, et ego vicissim non deero pro ecclesia, et persona vestra Domino supplicare. Datum Romae die 22 Novembris 1611.

Amplit. V. R^{mae} / frater et servus in Domino / R. Card^{lis} B.